



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. Ant. Mvreti Variarvm Lectionvm Libri XV

Muret, Marc-Antoine

Antverpiæ, M. D. LXXXVI.

Cap. 15. Secundam fortunam difficilè ferri, multoru[m] grauium scriptorum
testimoniis confirmatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70864)

Secundam fortunam difficile ferri, multorum grauium scriptorum testimonio confirmatum.

CAPVT XV.

GRAVEM admodum sententiam Gobryæ Xenophon dedit: quamque quotidiana experientia veram esse declarat. Difficilius videlicet reperiri que secundam, quam qui aduersam fortunam bene ferant. Secundis enim rebus insolescunt plerique homines, & efferruntur: aduersis omnes ad temperantiam moderationemque reuocantur. id quod ille expressit his verbis: *δοκεῖ δέ μοι, ὦ Κύρη, χαλεπώτερον εἶναι εὐρεῖν ἀπὸ εὐδαιμονίας καλῶς φέροντα, ἢ τὰ κακά. τὰ μὲν γὰρ ὕβρις τοῖς πολλοῖς τὰ δὲ σωφροσύνην τοῖς πάντων ἐμποιοῖ.* M. autem Cato ille Censorius, etsi à Xenophonte, vt opinor, non hauserat, vt qui à Græcis litteris abhorreret: prope tamen idem dixerat in Oratione pro Rhodiensibus. ex ea enim citantur hæc: *Aduersa res se domant, & docent, quid opus sit facto: secunda res letitia transuersum trudent, solent à rectè consulendo atque intelligendo.* Itaque non sine causa dictum est ab Hóratio:

— bene ferre magnam

Disce fortunam. &

Æquam memento rebus in arduis

Seruare mentem: non secus in bonis

Ab insolenti temperatam

Letitia. &

Rebus angustiis animosus atque

Fortis appare. sapienter idem

Contrahes vento nimium secundo

Turgida vela.

aliaque multa eòdem pertinentia. Non paucos enim fortuna, quos aduersa non mouerat, propitia percussit, multisque contingere, videmus id quod Tantalò contigisse

tigisse ait Pindarus: quem ait nequiuissē concoquere felicitatem suam. εἰς δὲ δὴ πν' ἀνδρα θνατὸν οὐλύμπια σκοποῖ ἐτίμασθαι, ὡς Τάνταλῳ ἔτθ. ἀλλὰ γὰρ καταπέψαι μέγαν ἄλβον ἐκ ἐδωαίῳ.

Ebrii nomen ad alia quadam à vino eleganter tralatum.

CAPVT XVI.

IN FATVATVM prosperis rerum successibus Cleopatrae animum eleganter admodum ac significanter expressit Horatius, cum eam dulci fortuna ebriam fuisse dixit. Pari autem elegantia olim Euripides, cum induceret Electram conquerentem de contumeliis quas patri suo mortuo imponeret Ægysthus, fecit ipsam dicentem, ea omnia illum Clytæmnestra ebrium facere. Ita enim loquitur:

Μέθη δὲ βροχθεῖς σ' ἐμῆς μητρὸς πόσ.

Ὁ κλεινὸς, ὡς λέγεσιν, ἐνθρῶσκι τάφῳ,

Πέτρῳις γὰρ λείπει μνήμα λαίῳνον πατρός.

Sed & Flavius Philostratus in Herodis vita simili modo dixit homines diuitis ebrios. ita enim scribit: οἱ γὰρ πῶτα μεθύοντες, ἔβου τοῖς ἀνθρώποις ἐπαντλέσιν. & alicubi Lucretius homines ebrios curis. quam ad formam nos quoque haud ita pridem in Ode quadam ad Anastasium Iusbertum Melchioris F. adolescentem eleganti ingenio, moribusq. optimis præditum, ita cecinimus:

— non didicit modum

Seruare, nec se legibus alligat,

Sed semper impermissa querit

Immodico ebria mens amore.

Horatiana quadam genera loquendi è Græco expressa.

CAPVT XVII.

CVM multa & in his libris & in aliis loquendi genera notauerim, quæ Horatius à Græcis poetis mutua-